

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae Religionis Capitibus Disputationes XV.

Calixt, Georg

Helmestadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Phaleucus quem honori piè placidepue ante ipsum biennium defuncti
domini D. Georgii Calixti [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128662)

PHALEUCUS

quem

HONORI

piè placideque ante ipsum biennium defuncti

DOMINI

D. GEORGII CALIXTI

Viri in tantum laudandi, in quantum pietas, doctri-

na & virtus intelligi possunt,

Cùm Eiusdem incredibile desiderium,

Disputationibus de præcipuis religionis Chri-

stianæ capitibus novâ curâ editis,

consolaretur

paterna vestigia premens,

Filius

FRIDERICUS ULRICUS CALIXTUS D.

consecrat

Academiæ Juliæ Civis

JOHANNES JUSTUS OLDECOP

Hildesienfis.

Demens Pisa quid Elidis superbis,
Moto pulvere ludicro per agros?
Cur tu prodiga dissipasse gaudes,
Dono posthabito ingeni, coronas?

(:) (:) 2

Duri

Duri corporis insolenter artus,
Dextræ robora, fervidos lacertos
Poscis, quæis malè sana gloriæ.
At si seria lucta te vocabit,
Quæ mentes acuuntur, alligantur,
Quando es cassa labore mentis acri,
Ac nil de pietate polliceris,
Vitro te fragili remisfiorem.
Primo sentiet impetu terendam.
An non turbine pulverem rotari
Vanos cernis in aeris recessus?
Auro mollia quid lupina distent
Nescis, fucus adest gravi lupato,
Imponitque tibi vafer Sophista.
Mox cum corporibus tuis caducis
Colluctabitur Atropos, sinusque

Fractos

Fractos in Stygias retundet undas,
Sed vis ingenij stat irretorta,
Cui cultura perenne robur addit,
Temnens delicias supiniores,
Ergo palma datur novæ palæstræ,
Collisa ingenia in quibus probantur:
Hanc ingloria non frequentat Elis.
Hic luctator adesto Primipile,
Ut TE jure vocant, Senex CALIXTE,
TE, si quæ loquar audienda, dicam.
O sanctum penetrale, pacis usque
Splendens atrium, ubi licet per hostes,
O sacræ stadium inclitum palæstræ!
Et Pisa, & TIBI tota cedit Elis,
Atque auro laqueata tecta cedunt,
Quæ vel vertice prominent Olympo.

Tu puræ Schola vera sanctitatis,
Quam multis adiisse gloriosum est;
Cancellis resonantis incolæ aulæ
Omnes aligeri fuisse gaudent.
Hic non Sirius, impotens nec æstas
Bacchatur, licet ardeant propinqua:
Hic nunquam gelido ferus capellas
Mites frigore percutit December,
Aut sævo Boreâ flagellat ædes;
Sed laurus patuli Canis, Notique
Pellit crinibus inditis furorem.
Ramos præmia Delios subactis
Direpta hostibus opprimunt; profanis
Signis & chlamys atq; rostra pendent.
Tu, mirum, juvenis senex CALIXTE,
Cœlestes animis dapes ministras.

Socrates

Socrates mihi nonne radit aurem,
In fano tripodem suo recludens?
Sed quid vaniloqvus tripus facescit?
Tu prudens retegis DEI, CALIXTE,
Dicta, ac omnibus arca dives audis,
Seu gestit Nabathæus orbis acta,
Seu TE consulit ambiens propinqvvs.
Solers subruis arte pervicacem,
Si surgat, stimulum, repellis auras,
Altâ voce piis patrocinaris.
Est vastum omnigenæ eruditionis
Quacunque ilias in Tua columna:
Es nautæ cynosura devianti,
Et fax per mare clara divaganti.
Ætatis cariem nihil receptat,
Fæce asper scarabæus usqve gaudet,

Hic

Hic, nunquã peritura, scripta perstant.
Plectri non ita vim meret marinæ
Prognatus Thetidi, licet Poetam
Orbum luminis afferat canentem.
Jactet Pisa suos ferox honores,
Pulcros Alcinous revelet hortos,
Qvin & Hesperides, Semiramisque,
Cedunt cuncta pio Seni CALIXTO.



DE